



Statuten des Hubertus Ordens.

CONSTITUTIONES
ORDINIS EQUESTRIS
DIVO HUBERTO
SACRI
DENUE EDITE ANNO 1800.

CONSTITUTIONES
ORDINIS EQUESTRIS
DIVO HUBERTO
SACRI,
DENUO EDITÆ ANNO 1800.

237729 III

STD 4459

S2-2020

[100-]



20.01.20

N O S

MAXIMILIANUS

JOSEPHUS

DEI GRATIA

COMES PALATINUS RHENI,
UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX, SACRI ROMANI
IMPERII ARCHI-DAPIFER ET ELECTOR, DUX JULIÆ, CLIVIÆ ET
MONTIUM, LANDGRAVIUS LEUCHTENBERGÆ, PRINCEPS MOERSIÆ,
MARCHIO MONTIUM AD ZOOMAM, COMES VELDENTIÆ, SPONHEMII,
MARCHIÆ, RAVENSBERGÆ ET RAPOLTSTEINI, DOMINUS IN RAVEN-
STEIN ET HOHENACK &c. &c.

NOTUM FACIMUS, ATQUE EXPLO-
RATUM UNIVERSIS PRÆSENTES PAGINAS IN-
SPECTURIS, LECTURIS AUT LEGI AUDITURIS.

AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO,

*conditus quondam à felicissimæ Recordationis Principe
GERARDO DUCE JULIÆ, ET MONTIUM, COMITE
RAVENSBERGÆ Ordo Equestris, ob insignem de hostibus,
Anno Millesimo Quadringentesimo Quadragesimo quarto,
Provincias suas hostiliter adortis, ipsâ die festivâ divi HU-
BERTI, reportatam Victoriam, huic glorioso sacrosanctæ Ec-
clesiæ*

clesiæ Mareschallo solenniter dicatus, non modò jam in Primordio, & ulteriore Successorum laudatissimæ Memorice Majorum Nostrorum Serie, illustrissimo fulgebat splendore, dum quamprimùm ex S.R.I. Electoribus, Ducibus, Comitibus potiores, simulque ex Nobilium reliquorum Prosapiâ antiquiori plurimos numerabat Equites, verùm etiam exordiente, quod vivimus, sæculo, novum cœpit Incrementum, quandò interruptum, per varias temporum vicissitudines, pristino splendori suo Serenissimus Princeps ac Dominus JOANNES WILHELMUS Comes Palatinus Rheni, S.R.I. Archi-Dapifer & Elector &c. gloriosæ Memorice postliminiò restituit æquè, ac additâ pleniori Legum & Statutorum Amplitudine instauravit; Quibus proinde ex eâdem sollicitudine Serenissimorum Electorum CAROLI PHILIPPI & CAROLI THEODORI colendissimæ Recordationis firmitus renovationis robur accessit:

Nos itaque pari zelo, et curâ ad conservandum perenne decus inclyti hujus Ordinis, & perantiquæ suæ Originis Gloriam, easdem Leges, ac Sancita stabilire volentes, statuimus atque decernimus:

Primo.

Ut ex nunc, & futuris quodocunque temporibus hic Ordo Equestris divo HUBERTO sacer, præter magnum Ordinis Commendatorem, solos numeret duodecim Equites e Comitum et Baronum Censu; hocce autem Numero præfixo, neque

Secundo.

Nos, vel Successores Nostri, utpotè Capita, Restauratores, & Fundatores hujus Ordinis computandi erimus;

Tertio.

Principum etiam, quibus hic Ordo Equestris modò collatus est, & quibus Eundem imposterum amplecti placuerit, indefinitus quodocunque sit, & maneat Numerus, ita tamen,

Quarto.

Ut solummodò recipiendi sint, qui in Sacro Romano Imperio Principum Gente avitâ sortiuntur, uti &, qui Suprematûs absoluti Progenie (ut ajunt, von alt Fürstlich-und souverainen Häusern) Originem

ginem trahunt, aut, qui saltem collatâ hæcce specialiter à Cæsareâ Majestate gaudent Principum Imperii Celsitudine.

Quintò.

Omnem demùm in vacaturas aliquando pro Comitum vel Baronum ordine, Dignitates Equestres succedendi Collationem (quam vulgò expectantiam vocant) sub quocunque petantur Titulo, decretoriè hisce vetamus.

Sextò.

Nullus Comitum aut Baronum in Ordinis hujus Consortium admittendas erit, nisi minimum à quatuor Avis, Paternæ, & Maternæ conjunctim Lineæ, Nobilitatem Equestris Prosapicæ suæ docere, ac de eâdem luculenta Testimonia producere valeat; quæ proinde intrâ sufficiens temporis spatium, legali omnimodò forma, præviè ad Manus Serenissimi Magistri Ordinis Supremi exhibere teneatur; unde probatorialia hæcce documenta illicò singulis, qui erunt præsentibus, è Comitum vel Baronum Numero Equitibus circulando communicabuntur; quorum cuiusvis deinceps ea penitus examinare, & si quidquam defecerit, libero suffragii Jure, specialiter monere liceat.

Septimò.

Præterea Candidatus ejusmodi receptionem implorans sit illibatæ vitæ, & morum intactâ integritate commendatus, nec non in obsequiis Statûs, aut Militiæ, aliàve ratione, de Nobis, Serenissimâ Domo Nostrâ Electorali, & Terris atque Provinciis Nostris optimè meritis, adeoque hæc Equestri Prærogativâ, præ cæteris, dignior reputandus.

Octavo.

Nemo in hanc Ordinem admittatur, qui jam in alium adscriptus fuerit, nisi priùs eundem abdicaverit;

Nono.

Nobis autem, & Successoribus Nostris, aliisque Principibus, quibus huic Ordini inscribi libuerit, præter hunc, plures, paucioresve, pro Arbitrata, Ordines, aut jam susceptos,

aut imposterum suscipiendos gerendi facultas reservata esto.

Decimò.

Omnes, quos in hunc Ordinem cooptari contigerit, incorruptam erga Nos, Serenissimam Domum Nostram Electoralem. Nostrosque in Electoratu Successores Fidem, Animi que propensissimi Studium testentur, ac perpetuò conservent.

Undecimò.

Omnes passim spectate Vitæ, Morumque Probitate, Existimationem, Dignitatemque suam tueri, ac sustinere adnitantur.

Duodecimò.

Pauperibus & Egenis se beneficos semper præbeant, atque his ex Commendis, quæ imposterum pro Opportunitate Rerum ac Temporum eveniente assignari poterunt, decimam partem omnium percipiendorum fructuum in Nosocomiorum sublevationem, prout deinceps specialiter decernetur, quotannis pendere teneantur.

Decimò tertio.

Omnes, quodquod in Aulâ Nostrâ Electorali degunt, sequentibus, per anni decursum, festivitatem, in adjunctâ tabulâ expressis, in habitu Ordinis, id est, in veste imperiali, vulgò Imperial-Manfèl-Kleid, comparebunt, quando eis per Feciam intimabitur.

Decimò quarto.

Necnon diebus Salvatoris nostri Natalitiis Resurrectioni, Missioni sancti Spiritus, omnibus Sanctis, uti & Conceptioni, Nativitati, Annunciationi, & in celos Assumptioni beatissimæ Virginis, dicatis (quantum quidem Romano Catholicos concernit) sacrâ Exomologesi se expiaturi, sacramque synaxin sumpturi præsumuntur, atque memoratis hisce solennibus diebus, in præcipuo sacelli Nostræ aulicæ altari, imago divi HUBERTI Ordinis Patroni exponetur.

Decimò quinto.

Ad conservandam Ordinis hujus, ejusque Militum, si-

ve Equitum memoriam, Nos in tempore Nostro dabimus, & post fata Nostra Successores Nostri dabunt cuique illorum insigne aureum, ad Intentionem in primævâ institutione Ordinis expressam, fabricatum, quod quoque Nos, & Successores Nostri hujus Ordinis supremi Magistri, & quilibet Equitum, diebus festis, in suprâ dictâ adjunctâ tabulâ, designatis, portare tenebuntur.

Decimò sextò.

Cæterum, præter dies solennes, suprâ expressos, sufficiet reliquo anni tempore, quotidie portare parvum Ordinis symbolum, necnon Crucem ex auro elaboratam, in formâ, vi primævæ Ordinis institutionis, præscripta.

Decimò septimò.

Quodsi Nos, aut Successores Nostri, utpotè hujus Ordinis Capita & Fundatores cæterum eorundem Nostrorum Ordinis Equitum, eo loco, ubi id temporis Nos residere, vel cum aulâ Nostrâ morari contigerit, compellare necessarium esse duxerimus, iidem minimùm semel quolibet anno coràm adesse, vel absentie suæ causas afferre teneantur idoneas, quarum cognitionem Nobis Successoribusque Nostris, reservatam volumus; Atque hujusmodi causis deficientibus, quartâ parte reddituum, è Commendis provenientium, & pauperibus applicandorum, privabuntur.

Decimò octavò.

Quemadmodum etiam illi Ordinis Equites, qui insigne minus quotidie gestare neglexerint, toties, quoties super hac omissionem deprehensi fuerint, in viginti Imperialium pœnam pauperibus erogandam, incident.

Decimò nonò.

Quod siquem huic Ordini adscriptum è vivis migrare contigerit, consueta pro eodem (si Romano-Catholicus fuerit) exequiarum solennia peragentur.

Vigesimò.

Hæredes defuncti Equitis torquem majorem his dari solitam, sive Cæteram unâ cum Ordinis cruce, torqui annexa,

intrà tres primos, ab illius obitu, menses Thesaurario Ordinis remittere teneantur, neque ab ejusmodi obligatione, nisi accepto factæ traditionis chirographo, eximantur.

Vigesimò primò.

Siquis insigne Ordinis in causa Belli, aliove honorifico eventum, aut susceptâ laudabili quâpiam expeditione amiserit, Nos, & Successores Nostri, tanquam Supremi Ordinis hujus Magistri, eidem aliud Nostris impensis fieri, & tradi curabimus.

Vigesimò secundò.

Quicumque autem Equitum culpa sua, aut negligentia, Ordinis insigne amiserit, fregeritve, intrà quatuor proximos menses aliud proprio aere, sibi comparare, aut fractum refici curare tenebitur.

Vigesimò tertio.

Neque istiusmodi Ordinis tesseram, aut crucem in pignus vel arrham collocare, multò minus venundare, vel alienare quisquam ausit, citra Ordinis suscepti jacturam.

Vigesimò quarto.

Ad hæc recens, in hunc Ordinem adlectus Eques memorata insignia, minimùm presentibus octo hujusce Ordinis Equitibus, more usitato coràm accipiat.

Vigesimò quinto.

Quâ in re nihilominus gratum, ratumque habemas, ut Principibus eadem, per alium Ordinis Equitem, factâ eidem supplendi potestati (si quo casu ipsimet adesse nequiverint) suscipere fas sit.

Vigesimò sexto.

Ut porrò hic à Nobis instauratus ac confirmatus Ordo Sancti HUBERTI eò meliùs subsistere, ac inserti eidem Equites annexos illis sumptos tantò convenientiùs sustinere, pauperes etiam eò meliùs inde aliquid percipere subsidii possint, Deique ter Optimi Maximi honor promoveri valeat Equitibus ex Ordine Comitum & Baronum de Commendis & Officiis providere reservamus, quantocius commodè fieri poterit.

Vigesimò septimò.

Ne porro' eminentioris gradus, aut dignitatis ratio (quam præcedentiam vocant) in hoc Ordine Sancti HUBERTI aliquid simultatis, aut controversie pariat, idcirco sancimus, decernimus, volumusque, ut pro eo, quod Comitum ac Baronum seriem concernit (quandoquidem Principes, per se, cæteros dignitate antecellunt) hæc in Capitulis congregatis, aut in creatione, seu renuntiatione Equitum hujus Ordinis, aut aliàs, cum unâ omnes adesse oportebit, juxta ætatem à tempore admissionis computandam, præ omnibus instituatur, ac dirigatur, ita tamen, ut, quantum Ministeria Nostra aulica, & Consiliarios intimos Electoralis Palatinatus concernit, gradus à Nobis singulis officialibus designatus in eorum functionibus & extrà casus suprâ memoratos, irrefragabiliter teneatur ac observetur.

Vigesimò octavò.

Et quamvis omninò confidamus futurum, ut cooperati in hunc Ordinem Equites eam vivendi rationem teneant, eamque morum integritatem passim testentur, ut ab omni graviore flagitio sint alienissimi, ne in Nos & in hunc Nostrum Sancti HUBERTI Ordinem, labes aliqua, aut contemptus derivetur, nihilominus vi, & tenore præsentium, definimus, & constituimus, ut, si quo casu (quod equidem futurum neutiquam opinamur, quodque Superi avertant) quispiam admissis enormibus delictis, se hoc Ordine indignum reddidisse insimularetur, priusquàm eodem excidisse declaretur, ipse in generali Ordinis Capitulo coràm audiat, ac re, per majora (ut vocant) à Capitulo decisâ, aut in Ordine porro perseveret, aut ab eodem dimittatur.

Vigesimò nonò.

In Capitulis aut creationibus subindè habendis, deliberandi argumentum, quod Nobis, tanquam su-
premo

premo Ordinis Magistro conveniens, ac idoneum videbitur, ab Ordinis Cancellario proponetur, ac deinceps in rebus cujuscunque suffragationi commissis, ab eodem calculi, seu vota colligentur, qui & ipse suum, ordine etiam suo, adjiciet.

Trigesimò.

Singulis autem annis, ipso, Sancto Michaeli Archangelo, sacro die, in memoriam restituti, & renovati, hoc die, Sancti HUBERTI, Ordinis, aut saltem festivâ Purificationis Beatissimæ Virginis, generale Ordinis Concilium celebrabitur; Quorum plura, uti res et necessitas exigent, convocare Nobis, utpotè supremo Ordinis Magistro, liberum, atque reservatum esse volumus; Porro à Nobis, aut ab eo, qui vices Nostras geret, juxta suffragiorum pluralitatem decidetur, atque decisio illa, ab Ordinis Tabellario, sive Secretario, protocollo inseretur, deinceps, ut executioni detur, urgenda.

Trigesimò primò.

Quisquis Principum, in hunc Ordinem adscribetur, Thesaurario Ordinis, prout constitutum in pauperum sustentationem, & ad reliquos ex diuturnâ observantia destinatos usus, ducentos aureos Ducatos; Ex Comitum, aut Nobilium classe verò receptus Eques tantummodò centum Ducatos, simulque centum Imperiales, ergà Thesaurarii chirographum, pendet.

Trigesimò secundò.

Et quandoquidem clementissimè volumus, ut Ordinis Cancellarius nunquam non è numero sit Equitum Ordinis, & Commendatorum ejusdem: Proinde hic in omnibus functionibus, ad se spectantibus, juxta ætatem receptionis suæ, congruum gradum, locumque sibi vendicabit, præcipuè officiales Ordinis, sup- & inferioris gradus, nempe Ceremoniarium, Vice-Cancellarium, Secretarium; Thesaurarium, Ordinis Fecialem (quem vulgò Heroldum vocant) atque Custodem ornamentorum

Ordinis, sive aliàs Guarda Robba dictum, juxta præscriptam iisdem instructionem, suæ curæ commissos respectivè, & obsequentes habebit.

Trigesimò tertio.

Quodsi deinceps Ceremoniarius, Pro-Cancellarius, Secretarius, Thesaurarius, Fecialis, vel Guarda Robba officio decedat, illis alios idoneos surrogabimus: Prout quoque nominatio pro tempore magni Commendatoris, & Ordinis Cancellarii, ex gremio ejusdem Ordinis Equitum ad Nos & Successores Nostros pertinebit.

Trigesimò quarto.

Ut ex præfatis, quinque Ordinis officiales ob functiones suas, aliquo emolumento gaudeant, distributionem Jurium à recepto Equite præstandorum, pro more hactenus usitato, inter eos faciendam ordinabimus, necnon singulis annum salarium tunc demum assignabimus, quando Equitibus de Commendis erit provisum.

Trigesimò quinto.

Clementissimè sancimus, ut perinde à Nostris Dicasteriis, ac Cancellarium Nostrarum judicialibus Prætoris, jam antè memoratis, ac imposterum futuris Ordinis Equitibus, Commendatoribus, in omnibus litterarum, quas ad eos dari contigerit, inscriptionibus, uti & alias ejusmodi titulus, adjunctâ collatæ cuilibet Commendæ honorificâ mentione tribuatur.

Trigesimò sexto.

Volumus insuper & decernimus, ut nullus Equitum, & Commendatorum Equestris hujus Nostri Ordinis Sancti HUBERTI, in causis Equitum Ordinis personas directè & immediate concernentibus neutiquam coràm aliquo Nostrorum Electoralium, aut Ducalium tribunati, sed coràm Nobis, & hoc Nostro Ordine, in reliquis autem civilibus, realibus, aut mixtis actionibus coràm Judice competente conveniatur, quemad-

modum etiam Ordinis Equites sub signis Nostris militantes, in causis quibusunque militiam concernentibus, coràm iudice militari respondere tenebuntur.

Trigesimò septimò.

Quodsi autem, quod quidem superi avertant, quemquam capitis reum damnari, aut in illum sententiam famæ, atque honoris gravissimam læsionem inferentem pronunciari contigerit, priusquàm sententia executioni mandetur; ab Ordinis congregato Capitulo, Ordinis insignibus, prærogativis, & dignitatibus solenniter privandus, atque ex Equitum albo detendus erit.


Trigesimo octavò.

Ad extremum Nobis planè, ac disertè reservatum volumus, ut, siquo casu brevi, longove ab hinc temporis lapsu, hanc, quam Nobis clementissimè placuit, ratam, probatamque habere, Ordinis constitutionem, quovismodo immutare, corrigere, emendare, vel imminuere, aut dilatare necessarium esse duxerimus, Nobis integrum sit, hoc ipsum per Cancellarium Ordinis in Capitulo ejusdem legitimè congregato proponere, omnibusque rei momentis seriò ac maturè, accedente congruà informatione, perpensis, quod plerique suo suffragio faciendum, omittendumve censuerint, executioni dare, aut missum facere.

Demum, ad perennem sanctionis hujus firmitatem, præsentibus tabulas manu propriâ subscripsimus, & intimæ statûs Cancellariæ Electorali Sigillo communiri jussimus.

Monachii XXX. Martii MDCCC.

MAXIMILIANUS JOSEPHUS ELECTOR.



Vid. Jos. Comes de Reinstein & Tattenbach.

Ad Mandatum Serenissimi Domini Electoris proprium

Ferdinandus Liber Baro de Lamezan, Ord. Procancellarius.

CATALOGUS

DIERUM FESTIVORUM, QUI – BUS EQUITES ORDINIS IN VESTE ORDINIS, ID EST, IMPERIALI COMPARERE TENENTUR.

Dies JANUARIUS.

1. – *Festo Circumcisionis Salvatoris Nostri.*

FEBRUARIUS.

2. – *Festo Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ.*

MARTIUS.

25. – *Annunciationis B. V. Mariæ.*

MAJUS.

1. – *Festo Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi.*

JUNIUS.

29. – *Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.*

JULIUS.

25. – *Festo Sancti Apostoli Jacobi.*

AUGUSTUS.

15. – *Festo Assumptionis B. V. Mariæ.*

SEPTEMBER.

8. – *Festo Nativitatis B. V. Mariæ.*

29. – *Festo Sancti Michaelis Archangeli.*

OCTOBER.

28. – *Festo Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ.*

NOVEMBER.

1. – *Festo Omnium Sanctorum in venerationem Divi Huberti.*

3. – *Festo Sancti Huberti Ordinis Patroni.*

30. – *Festo Sancti Apostoli Andreæ.*

DECEMBER.

8. – *Festo Conceptionis B. V. Mariæ.*

25. – *Festo Nativitatis Christi.*

26. – *Festo Sancti Proto-Martyris Stephani.*

Item Diebus festivis Paschalis Dominicæ & Lunæ.

Festa Ascensionis Christi.

Diebus festivis Pentecostes Dominicæ & Lunæ.

Festo Corporis Christi.

Die funerali Equitis Ordinis.

Diebus capitularibus.

NORMA ET REGULA

in Creatione Equitum Divi HUBERTI observanda.

PRIMO.

*P*osteaquam Serenitati Suae Electorali atpote Supremo Ordinis Magistro Cancellarius Ordinis de commisso sibi munere sedulo ac integrè administrando juramenti religionem cavit, atque eidem vicissim reliqui Ordinis Officiales: Vice-Cancellarius, Secretarius, Thesaurarius, Fecialis & Ornamentorum Custos vulgò Guarda Robba fidem juratò præstiterunt,

SECUNDO.

*J*ussu Cancellarii dies, locus, & hora per Fecialem dicitur in equestrem hunc Ordinem adoptandis,

TERTIO.

*S*imulque ab Ordinis Guarda Robba ex mandato Cancellarii Stella argentea cuius Equitum traditur ad sinistrum pectoris latus vesti adfigenda.

QUARTO.

*Q*uando dies adest huic solennitati peragenda destinatus, Serenissimus Elector velut Ordinis Supremus Magister majori Ordinis insigni atque Stellâ argenteâ circumdatus, præeunte consueto aulicorum comitatu, atque aulae Supremo Mareschallo, aut qui ejus vices gerit, gladium evaginatum Serenitati Suae Electorali præferente, ad conclave sese confert, in quo thronus duorum triumve gradum erectus, ad cuius sinistrum latus subsellium aulæo instratum, ad dextrum verò tabula, cui Crucifixi imago cum duabus candelis accensis, & S. Evangelii liber pulvinari rubro holoserico impositus, itemque ad idem latus alia tabula, in qua tot Ordinis majora insignia, quot Equites creandi erunt, singula singulis pulvinaribus rubro-holosericis substrata jacent; in quo comitatu renuntiati Ordinis Equites bini & bini ordine quique suo ante supremum aulae Mareschallum, aut ejus munere fugentem, ad destinatum functioni conclave Serenitatem Suam Electoralem præcedunt.

QUINTO.

*S*imul ac Serenitas Sua Electoralis thronum conscendit, electi Ordinis Equites ante subsellium aut sinistrum Serenissimi Electoris latus composito ordine substituerunt, atque Serenissimus Elector utpote Ordinis Supremus Magister Caput terit,

SEXTO.

*O*rdinis Cancellarius in medium ex ordine, quem inter Equites tenet, ad dextrum Serenissimi Electoris latus, Vice-Cancellario, & reliquis Ordinis Ministris subsequentibus, procedit, expositisque brevi et ponderosâ oratione causis, quæ Serenitatem Suam Electoralem ad Ordinis hujus restorationem commoverunt, Equites à Serenitate Sua Electorali clementissimè designatos ordine quemque suo denominat; quo peracto

Septimo



SEPTIMO.

Ordinis Vice-Cancellario Constitutiones Ordinis distinctâ & altâ voce prælegendas tradit, atque ad suum sese locum recipit.

OCTAVO.

*P*raelectis Statutis, Vice-Cancellarius Neo-Equites interrogat, num illorum tenorem rectè perceperint, illisque (quod ita) affirmantibus, admonet: Quando à Serenissimo Electore tanquam Ordinis Supremo Magistro, Ordinis hujus Equites clementissimè sint pronuntiat, illud nunc agi, ut solenne juramentum S. Evangelii attactu præstetur; quare

NONO.

*S*inguli Equites ad tabulam, cui S. Evangelii liber impositus est, accedunt, atque manu dextrâ Evangelium genu flexi tamdiu attingunt, donec Vice-Cancellarius juramentum prælegit, in hoc summarie consistens:

DEO Omnipotenti, & Sancto ejus Evangelio fidem præstabit, vos, quantum in vobis erit, prælectas Ordinis Constitutiones, & regulas integrè ac religiosè observaturos, honorem ac commoda Serenitatis Suae Electoralis tanquam Supremi Ordinis Magistri nec non dignitatem & incrementum hujus Ordinis Divi HUBERTI pro viribus promoturos, egenis largè ac beneficè adfuturos; quod fideliter ac sanctè appromittitis, ita **DEUS** vos adjuvet & Sanctum ejus Evangelium.

JURAMENTUM.

Quod mihi modo prælectum est, & ejus tenorem probè intellexi, illud in omnibus, & singulis me fideliter observaturum spondeo, & appromitto, ita DEUS me adjuvet, & Sanctum Ejus Evangelium.

Quod si verò Princeps quidam in equestrem hunc Ordinem assumatur, à juramenti hujus præstatione liber quidem erit; attamen non detrectabit sub fide, & verbo principali sequenti sponsione illud supplere:

*V*estra Serenitas (Celsitudo) sub honore, & verbo Principali stipulabitur, & spondebit, se Nobiscum, utpote equestris Ordinis Sancti HUBERTI Supremo Magistro veram, constantem, atque infucatam amicitiam,

& concordiam esse culturam, & necessitate exigente pro viribus, quantum Serenissimæ (Illustrissimæ) Domûs vestræ ratio permittet, Nobis auxilio futuram, dignitatem, & incrementum hujus Ordinis, quantum poterit, promoturam, nec non erga pauperes se præstituram misericordem atque beneficam.

Ponatur manus supra Evangelium.

Ipsa appromissio.

Prælectam mihi, & probè intellectam sponsonem me sincerè servaturum sub fide Principalis mei verbi, & honoris polliceor, & appromitto.

Si verò Principem absentem per delegatum Ordinem sumere contingat, delegatus supra-memoratam appromissionem sequenti modo præstabit.

Nomine Serenissimi (Illustrissimi) Principis N. N. sub Serenitatis (Celsitudinis) suæ honore, fide, & verbo Principali pollicebitur, & appromittet, Serenitatem (Celsitudinem) suam Nobiscum, utpote equestris Ordinis Sancti HUBERTI Supremo Magistro veram, constantem, atque infucatam amicitiam, & concordiam esse culturam, & necessitate exigente pro viribus, quantum Serenissimæ (Illustrissimæ) suæ Domûs ratio permittet, Nobis auxilio futuram, dignitatem, & incrementum hujus equestris Ordinis, quantum Serenitas (Celsitudo) sua poterit, promoturam, nec non erga pauperes se præstituram misericordem & beneficam.

Ponatur manus supra Evangelium.

Ipsa appromissio.

Prælectam mihi, & probè intellectam sponsonem me nomine Serenissimi (Illustrissimi) Principis N. N. sub Serenitatis (Celsitudinis) suæ honore, fide, & verbo Principali sincerè servaturum polliceor, & appromitto.

DECIMO.

*H*oc peracto singuli Ordinis Equites ad priorem locum se conferunt, atque à Vice-Cancellario Equitum ordine primus compellatur, utque ante thronum in secundo tertiove gradu genu flectat, admonetur.

UNDECIMO.

*D*einde Serenitate Suae Electorali à supremo aulae Camerario Serenissimi Electoris dextrum latus nonnihil retrò sedile dandente, majus Ordinis insigne in pulvinari rubro holoserico à Thesaurario ipsi porrecto praesentatur.

DUODECIMO.

*Q*uod neo-creati Equitis collo hac adlocutione Serenissimus Elector circumdat.

Accipe signum equestris Ordinis Nostri Sancti HUBERTI, & clementissimae propensionis Nostrae, & semper memor sis fidelitatis Nobis tanquam Supremo Ordinis Capiti debitae, nec non commiserationis erga pauperes in vim hujus Ordinis extraordinarie recommendatae.

Præsenti Principi tali adlocutione Ordinis majus insigne circumdatur.

Accipe Serenissime (Illustrissime) Princeps Signum equestris Ordinis Nostri Sancti HUBERTI & constantis affectionis Nostrae, ac semper sis memor amicitiae Nobis promissae, nec non commiserationis erga pauperes in vim hujus Ordinis, extraordinarie recommendatae.

Delegato Principis modo sequenti.

Accipe Nomine Serenissimi (Illustrissimi) Principis tui Signum equestris Ordinis Nostri Sancti HUBERTI, & constantis affectionis Nostrae, ac semper sis memor amicitiae Nobis promissae nec non commiserationis erga pauperes in vim hujus Ordinis extraordinarie recommendatae.

Adhuc Serenitati Suae Electorali à Supremo Aulae Mareschallo, aut



ejus vices gerente, gladius Serenitati Suae Electorali praelatus, & quo Serenissimi Electoralis latus sinistrum nonnihil retrò sedite claudit, porrigitur, quo utrumque neo-creati Equitis humerum ferit, dicitque:

Hoc gladio Ego te creo & facio Equitem militaris Ordinis Nostri Sancti HUBERTI, in honorem Sanctissimæ & Individuæ TRINITATIS, Beatissimæ Virginis MARIE, & Sanctorum HUBERTI & GEORGII, ut sis Mihi tanquam hujus equestris Ordinis Supremo Capiti, & Successoribus Meis fidelis, atque eundem juxta omnes vires tuas protegas & conserves.

PRO PRINCIPIBUS:

Hoc gladio Ego creo & facio Serenitatem (Celsitudinem) tuam Equitem Ordinis Nostri Sancti HUBERTI, & sit Mihi tanquam hujus Ordinis Supremo Capiti, & Successoribus Meis verus amicus, & eundem juxta omnes vires suas protegat & conservet.

PRO ILLORUM DELEGATIS:

Hoc gladio Ego creo & facio Serenissimum (Illustrissimum) Principalem tuum Equitem Ordinis Nostri equestris Sancti HUBERTI, ut sit mihi tanquam hujus Ordinis Supremo Capiti & Successoribus Meis verus amicus, & eundem juxta omnes vires suas protegat & conservet.

Expletâ hac functione gladius Supremo aulae Mareschallo, aut ejus vices gerenti redditur, atque Serenissimus Elector neo-Equitem amplectitur, qui Serenitatis Suae Electoralis manum osculatus ad suum se locum recipit, quem reliqui juxta ordinem sequuntur, acceptoque Ordinis insigni ante se insignitos amplectuntur, atque in suo sese loco collocant, quo peracto, atque singulis Equitibus Ordine decoratis;

DECIMO TERTIO.

Serenitati Suæ Electorali Ordinis Vice-Cancellarius, singulorum Equitum nomine, succinctâ oratione humillimas gratias agit, ac demum

DECIMO QUARTO.

Serenitatem Suam Electoralem priore ordine ad sacellum aulicum Equites comitantur, in quo destinatas ipsis sedes oratorias occupant, atque Serenissimo Electore tanquam Ordinis Supremo Magistro ad offertorium se præparante, signo à Ceremoniario dato, ad dextrum Evangelii latus se sistunt, ac Serenissimo Electore ab offertorio in oratorium regresso, Equites vicissim ordine quisque suo ad offertorium accedunt, & deinde ad suas se sedes conferunt. Re Divinâ peractâ Serenitatem Suam Electoralem è sacello, ordine prædicto comitantur, atque Serenissimo Electore in interiorius conclave ad deponendum majus Ordinis insigne, & minus sumendum sese recipiente, Equites ad prius conclave se conferunt, ubi minus insigne sumunt, majus autem deponunt cujusvis custodiæ servandum.

FINIS.





